

**Disputatio medica inauguralis, de debiliū palpitatione ... / eruditorum  
exami ni subjicit Joannes Balmanno.**

**Contributors**

Balmanno, John.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Excudebant Adamus Neill et socii, 1798.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/bbzs4v74>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

DEBILIUM PALPITATIONE.

---

DISPUTATIO MEDICA

IN ACADEMIA

DE

DEBILITATE PALPITATIONE.



DISPUTATIO MEDICA 10  
INAUGURALIS,  
DE  
DEBILIUM PALPITATIONE;

*QUAM,*

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.  
*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et  
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

*GRADU DOCTORATUS,*

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

*Eruditorum examini subjicit*

JOANNES BALMANNO,  
*SCOTUS:*


Ad diem 12. Septembris, horâ locoque solitis.

---

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCIJ.

=====  
M DCC XCVIII.





THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

LIBRARY

VIRO

CELEBERRIMO,

ALEXANDRO MONRO, M. D.

ANATOMIÆ

IN

ACADEMIA EDINBURGENA


PROFESSORI,

HANC DISPUTATIONEM

SUMMA OBSERVANTIA

D. D. CQUE

JOANNES BALMANNO.



1770

GERMANY

ALEXANDRO MONRO, M.D.

ANATOMIA

IN

ACADEMIA MEDICINA

TROISPORT

1770

LIBRARY OF THE

1770

JOHNES BARNARD





# DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

## DEBILIUM PALPITATIONE.

---

§. I. **N**E summas vires temerè intendere-  
mus, natura prohibuit; quæ pro-  
fectò nostra corpora ita finxit et fabricata est,  
ut musculos diu vehementissimè exercere non  
possimus, quin dolore et fatigatione plectamur.

II. Etiamsi verò conditio corporis, quam  
efficit fatigatio, morbida appareat, non tamen  
morbus habetur. Spiritus quidem solito fre-

A

quentior,



quentior, difficilior, et magis anxifera est; arteriæ celerius moventur; atque magnopere debilitatur corpus: tamen hæc mala tam robustos et validos afficiunt, quàm delicatos et infirmos; atque non, sicuti morbi, medicinâ sanantur, sed intermissione laboris, quiete et somno.

III. Cor, licet ita naturâ formatum, ut, dum vivitur, motus perpetuet, tamen, etiam in robustissimo homine, cum repentinis animi motibus, tum vehemente corporis exercitatione, haud rarò multum perturbatur. Terrificis subito oblatis, initio debilitari videtur; namque vel motum intermittit, vel ter quaterve trepido palpitat et igneo quasi motu, dum molestissima simul præcordiorum gravitas urget. Brevi verò post, solito vehementius micat. Vehementiores tamen hujusmodi motus, quippe cum vel robustissimos hominum afficiant, vix morbidi habendi sunt; saltem



saltem haudquaquam cum iis conferendi, qui ex vitiis ipsius cordis, vicinarumve ei partium, vel ex morbida totius corporis mobilitate, oriuntur.

IV. Quando nobiscum consideramus, qualis sit fabrica, quis usus, organorum, quibus sanguis in irrequietum ambitum movetur; est, quamvis morbida cadavera non incidamus, quamobrem suspicemur fore, ut levi causâ non solùm eorum motus turbentur, sed etiam labefactetur totius corporis valetudo. In multis, porrò, uti ex patefactis morbidorum cadaveribus verisimillimum est, quibus, dum manet vita, cor inordinatè movetur, hoc organum vel fabricâ, vel formâ, vel magnitudine morbidum est. Inordinati cordis motus, qui ex his causis oriuntur, morbum constituunt, qui a *nosis* nominatur *PALPITATIO CARDIACA*.



V. Morbus verò, quem persequi mihi in animo est, quique *PALPITATIO DEBILIUM* appellari potest, a palpitatione modò dicta hòc differt, quòd ex nulla cordis ipsius, vicinarumve ei partium, pravitate oritur.

VI. Palpitatio debilium, inter quam, et motus cordis abnormes, quibus vel validissimi interdum afficiuntur, hoc interest, quòd aliis causis vel saltem levioribus excitatur, definiri potest his verbis :

*“ Motus cordis vehemens, anxietas, præcordiorum gravitas, a causis sano homini innocuis orientia, absque vitio organico.”*

SIGNA.

---

---

*S I G N A.*

---

---

VII. Qui ad palpitationem proclives sunt, ii causis afficiuntur adeò levibus, ut compluribus quotidie accessionibus vexentur ; atque etiam temporibus, quibus fruuntur palpitationis intercapedine, eorum corda levibus haud rarò causis inordinatè moventur.

VIII. Palpitatio, qualis opportunos primùm adoritur, had rarò levissima est. Cor enim, intermisso uno pulsu alterove, protinus semel ictus bisve solito vehementiùs iterat ; simulque æger premitur gravitate præcordiorum et anxietate, ad quæ levanda tussit, aut suspiria ingeminat.

IX.



IX. Augescente verò in palpitationem proclivitate, cor frequentiùs motus intermittit; neque rarò, post singulas intermissiones, ejus motus, quamvis haud multo concitatiores solito, ab ægro ipso sentiuntur. Hujusmodi tamen palpitatio, qua graviolem mortalium haud pauci nunquam patiuntur, tantillum molestiæ affert, ut medicinam vix desideret.

X. Procedente autem tempore, atque incremente proclivitate, motus cordis cùm vehementiores fiunt tum frequentiores, demumque molestissimum sanè morbum constituunt.

XI. Nimius cordis motus, seu palpitatio, periodis, ut aptè dicit SENACIUS, redit, plerumque protinus post pastum vel decubitum, et incerto tempore remittit \*.

XII.

\* Vid. SENAC. *De Cœur*, liv. vi. chap. ix. § 1.



XII. Aliquando palpitatio cordis subito accedit. Nonnunquam verò accessionem prænunciat rubor faciei; nonnunquam sensus suffocationis; modò affectiones cerebri et sensuum; modò præcordiorum gravitas, et stomachi alvique inflatio\*.

XIII. Nonnunquam, accessionis initio, pulsus arteriarum inæquales sunt, vel etiam intermittentes; atque interea homo anxius est, suspiria compluries ingeminat, et cum difficultate spirat. Hæc verò mala brevi in graviora transeunt.

XIV. Quo tempore pulsus arteriarum subinde intermittunt, eodem plerumque tardiores sunt, vel saltem non citatiores solito. Intermissio, æquis nonnunquam intervallis, accidit; atque proximus pulsus solito vehementior

\* Vid. SENAC. *De Cœur*, liv. vi. chap. ix. § 12.



mentior est, simulque ægrum premit maxima anxietas. Interdum cor ictus ingeminare videtur, etiamsi carpi arteria admoto digito duntaxat unum ictum impingat. Brevi verò post, intermissionibus cessantibus, arteriæ validius simulque ordinatius moveri incipiunt. Aliquando, intervallis solito longioribus, cor semel bisve molestè subsultat: at, haud rarò, hoc vel non observat æger, vel non reminiscitur.

XV. Quo modo cunque palpitatio adoriatur, pulsus arteriarum brevi post celeriores fiunt; dein, ferè ad finem accessionis usque, iidem manent, nisi fortè, id quod interdum accidit, causis quibusdam tardiores fiant, aut adhuc celeriores\*.

XVI.

\* Vid. SENAC. *De Cœur*, loc. suprà citat.



XVI. Interea cor insolitâ vi in costas contiguas arietat, atque singulis pulsibus ipsum dolet, magnamque simul movet anxietatem. Tanto interdum momento costas ferit, ut singulis impetibus has elevet, et ictus ejus astantibus exaudiantur.

XVII. Violentis cordis motibus, arteriæ majores, eæ in primis, in quas sanguis, ex corde expulsus, cursu rectissimo impellitur, præ cæteris excitantur. Pulsus *carotidum*, pariter atque cordis ipsius, ab ægro non tactu modò percipiuntur, sed, uti putat, auditu quoque. Pulsus enimvero *carotidum*, maximè quando recumbit æger, interdum sensum excitant, ei, quem soni, adeò similem, ut ægro, ex somno timenti, extrinsecûs excitatus videatur.

XVIII. In accessionibus gravioribus arteriæ, etiam cùm nullum cordi insit vitium,



tium\*, tantâ vi micant, ut singulis earum ictibus, qui ab ægro a capite ad calcem sentiuntur, totum corpus contremiscat.

XIX. Quoties, minuto temporis, arteriæ micent, exploratu difficile est; cûm præsertim, diversis ægris et temporibus, atque diversis quoque causis et corporis conditione, palpitantium arteriæ motus varient. Centies nonnunquam et quadragies, minuto temporis, pulsant; neque dubito, quin interdum multo adhuc frequentius moveantur. Nonnunquam, inter accessionem, adeò præcipitanter subsultant, ut nemo earum motus numerare possit.

XX. Tam in levioribus accessionibus, quàm in intervallis, arteriæ nonnunquam motus

\* Vid. MORGAGN. *Epist.* xxiv. num. 34. et 35.  
nechon *Epist.* lxiv. num. 10. et 42. et 13.



tus intermittunt; sed in gravioribus accessio-  
nibus, in quibus citatissimè moventur, inter-  
mittunt motus rarissimè. At non intervallis  
modò, verùm vi quoque et celeritate, motus  
arteriarum admodum varii sunt. Utcunque  
verò cæteroquin varient, sunt plerumque ali-  
quanto molliores.

XXI. Arteriis autem non nimis creden-  
dum est, fallacissimæ sanè rei; quia sæpe  
istæ, cæteris paribus, lentiores celerioresve  
sunt, et ætate, et sexu, et corporum natura.  
Sæpe eas concitant et resolvunt exercitatio,  
et metus, et ira, et quilibet alius animi affec-  
tus: adeò ut, cùm primùm medicus venit,  
solicitude ægri dubitantis, quomodo illi se  
habere videatur, eas moveat. Quas arterias  
autem conspectus medici movet, quàm facile  
mille res turbant \*!

## XXII.

\* Vid. AUR. CORN. CELS. *De Medicina*, lib. III.  
cap. VI.



XXII. Per totam accessionem, operosa spirandi difficultas est. Musculi, ii in primis quorum est costas elevare, tanquam delassati aut debiles, ægrè, neque nisi voluntate impetante, sese sic contrahunt et costas attollunt, ut spiritus hauriatur.

XXIII. Hæc tamen (xxii.) difficilis respiratio, ab ea, qua laborant sani homines vehementer exercitatione fatigati, aliqua ex parte differt. Fatigati magnam aëris animabilis copiam desiderant, quæ dissociet et auferat *hydrogenium carbonatum*, quo eorum sanguis, dum per magnam arteriam, rivulosque innumeros hinc orientes, diffunditur in omne corpus, inquinatur et nigrescit. Musculi, quorum motibus spiritus hauritur et emittitur, communi corporis commodo consulentes, suâ sponte se solito frequentius enixiusque contrahunt, vicissimque relaxant; neque voluntas eorum motus inhibere potest, donec motus  
cordis



cordis arteriarumque nimii, quos concitavit vehemens exercitatio, aliquantùm temperati fuerint. Palpitantes verò, inter difficilem respirationem, quæ tantam iis molestiam et anxietatem affert, motus musculorum, quorum ope respirant, voluntatis arbitrio paulisper intermittere possunt. Quoties autem hoc faciunt, toties protinus augentur anxietas et præcordiorum gravitas. Spiritum igitur vehementer hauriunt et frequenter; non tam ex aëris vitalis desiderio, quàm ut mala, quibus affliguntur, leviora reddant.

XXIV. Accessionibus levioribus, oscitare subinde, et suspiria ex imo pectore ducere, haud insolitum est. Ne hoc faciat, simulque ut brevem malorum intercapedinem capiat, æger, deditâ operâ, et summis viribus tussim molitur. Gravioribus accessionibus, rariùs oscitat quidem, sed spiritus continuum suspiratum simulat. Interdum tanquam musculo-

rum



rum convulsione anima ducitur: at hoc sæpius accidit, dum inclinatur accessio, vel postquam desiverit, quàm dum increscit, vel subsistit.

XXV. Eorum, quibus corda palpitant, animus corpus afficit, corporeque afficitur vicissim. Tantum enim alteri cum altero consortium intercedit, ut animi anxietate aut timore palpitatio cordis oriatur; atque, dum cor palpitatur, animus ferè semper anxius sit et meticulosus.

XXVI. Inter accessionem animus solito irritabilior videtur. Æger levissimis causis afficitur: eum repens quilibet sonus excitat; omnis aura territat; eique non metuenda metum injiciunt. Dum verò animus solito aptior est, qui vano metu trepidet, ejus dotes magnopere minuuntur. Neque enim præterita fideliter reminiscitur, neque ad præsentia se attendere



dere potest ; de rebus comparatis trepidanter  
judicat ; semet scientiarum literarumque stu-  
dio exercere pigret ; et, siquando se enixius  
intendat, cor, tanquam intentionis particeps,  
magnis tremoribus concutitur. Sola, id pro-  
fectò quod infortunatum in primis est, animi  
vis, quæ vegeta manet, est imaginatio ; quæ,  
mala incerta et nunquam forsitan futura ante-  
capiendo, ægrum contristat, magnopereque  
intendit vim morbi.

XXVII. *Anxietas seu inquietudo, quæ  
palpitationis comes est, ad hanc continuandam  
plurimum valet. Qui enim anxius est, idem  
ferè tristis ; et tristibus tristia conveniunt.  
Quoties itaque corde trepidantes præsentibus  
malis non occupantur, vel præterita reminis-  
cuntur et cogitant, vel futurorum torquen-  
tur timore. Iis neque præterita, perinde at-  
que fuerunt, videntur ; neque, atque sunt, præ-  
sentia ; neque, atque erunt, futura : sed perin-  
de*



de atque meticulosus sibi trepidusque animus fingit; uti enim lætis læta omnia apparent, sic tristibus tristia.

XXVIII. Quoniam omnes ferè infelices, quibus corda trepidanter subsultant, aliis quibusdam simul malis afficiuntur, difficile in primis est, dicere, quæ signa palpitatione oriantur, quæ aliis causis. Eæ verò morbidæ affectiones functionum naturalium et totius quidem corporis, quæ, duntaxat inter vel paulò post accessionem, ægrum vexant, propria, uti nobis videtur, palpitationis signa haud ineptè habeantur.

XXIX. Corpus palpitantium, pariter æqualiterque ac animus, inter accessionem, gravis exercitationis impatiens est et impotens. His, sicuti delassatis, omnis exercitatio labor et opus est, et magnopere citat cordis et arteriarum motus. Nonnunquam membra porrigere



porrigere volunt; sed, simul ut conantur, haud rarò pulsus arteriarum intermittunt, atque augentur anxietas et præcordiorum gravitas.

XXX. In lecto, dolor, quem cordis palpitatio movet ægris, plerumque levior est, quando in dextrum semisupini latus jacent.

XXXI. Etsi inter accessionem morbi, quem persequimur, cùm cor tum arteriæ solito celerius enixiusque micant, summum tamen corpus neque tam calescit, neque tam rubescit, neque tam sudat, quàm, ex sanguinis velocitate et impetu, ab inexperto expectandum. Nonnunquam tamen manuum volæ, supra consuetudinem, calent; atque, præcipuè si gravis accessio diutius continuaverit, præter solitum incalescit summum ubique corpus.



XXXII. Inter cordis palpitationem, quamvis *carotides* usque interdum eò subsultent, ut earum, intra cranium, ictus æger sibi videatur sentire, atque de plenitudinis in capite sensu conqueratur, haud rarò etiam de vertigine, aurium tinnitu, et caligine, caput tamen ferè nunquam dolet. Evenire quidem potest, ut, dum cor palpitat, caput doleat; cùm præsertim, qui utrisque malis opportuni sunt, eosdem utraque simul adorianatur et vexent.

XXXIII. Lingua ferme semper turpis est; sed nobis dubium videtur, an turpitudinem palpitatio efficiat, an morbi, qui hanc nonnunquam comitantur. Post longissimas et violentissimas palpitationis accessiones, linguæ nunquam, sicuti inter febrem, obducta nigra crusta conspicitur, at nonnunquam tamen mucus albidus.

XXXIV.



XXXIV Cùm, qui sint palpitationi cordis opportuni, iidem ferè ventriculo languidi sint et imbecilles, plerumque neque cibos, sicuti sani, appetunt, neque, sicuti sani, concoquunt assumptos. Rarò tamen nauseant inter accessionem, nisi hæc vel affectibus, qui animum deprimunt, velut anxietate, mœrore, assimilibusque, vel nauseosis acribusve stomachum offendentibus, excitata fuerit. Interdum, at rarissimè, vomitu, inter accessionem, æger afficitur. Parùm plerumque urget sitis, et, quoties urget, finitâ palpitatione conquiescit.

XXXV. Urina sæpe non multùm mutatur. Interdum solito coloratior et parcior est, et sedimentum, post finitam accessionem, deponit.

XXXVI. Sudor, uti suprâ diximus, nunquam admodum profusus est. Si accessio interdiu acciderit, halitus cutis aliquantò quidem



dem copiosior solito est, sed non tantò, ut sudor rectè nominari possit. Sin noctu ægro supervenerit palpitatione, plerumque diurnâ gravior est; usque interdum eò gravis, ut sudore manet summum corpus, atque æger lecto exsurgat. Hic verò sudor, etiamsi truncum corporis humefaciat, rarissimè tamen adeò profusus est, ut, super faciem, guttulas repræsentet.

XXXVII. Æger, si palpitatione corripitur cubiturus, interdum somnum inire nequit. Siquando non tanta vis palpitationis sit, quantâ somnum, ex toto, abigat; at haud tamen rarò divellere, aut turbidum reddere, possit. Animi voluntate suspensâ, anxietas et sollicitudo, quibusangebatur vigil, nunc, nullo inhibente vel dirigente, longè latèque dominantur, atque innumera terrifica suggerunt. Terræ motus, monstra, deflagrationes, ruinas, tempestates,



tempestates, naufragia, miser totam noctem somniat.

XXXVIII. Vanis his (xxxvii.) terroribus, quibus inquietus animus impletur, omnia vera morbi mala graviora redduntur. Cor trepidantiùs subsultat trepidantiùsque, donec tandem turbidus somnus disrumpatur. Æger miserandus, vanis imminentium sibi periculorum terroribus subito excitatus, atque totum pectus cordis ictibus concussus et tremefactus, tantâ præcordiorum gravitate opprimitur, tantisque affligitur ærumnis, ut timeat, dum optat, redormire.

XXXIX. Inter palpitationis accessionem, nullum signum eâ naturâ est, ut ex eo, intercapedinem malorum instare, prædicere possimus. Aliquando accessio ferè subito recedit\* ;

at

\* Vid. SENAC. *De Cœur*. liv. vi. chap. ix.



at sæpius multò non desinit, donec signa priùs multùm remiserint. Accessione desiturâ, summum corpus madefacit sudor ; qui verò, accessione prorsùs finitâ, sæpe brevi desiccatur. Haud rarò, sub finem accessionis, pulsus arteriarum intermittunt, et paulisper cessat palpitatio. Pòst autem paulò, intermissio pulsuum arteriarum, et palpitatio, redeunt. Tandem palpitatio, ad tempus, prorsùs desinit, fatigato ægro ac omnia membra languido.

XL. Antequam huic historiæ finem imponamus, observandum est, ne quis in errorem ducatur, signa, quæ memoravimus, ea esse gravissimæ palpitationis, qua haud pauci mortalium, constitutione aut educatione delicati et debiles, multos per annos, affliguntur ; ideoque minimè expectandum esse, iisdem per omnia signis omnem palpitationem cognosci posse. Modò enim, qui hoc morbo affligi solent, duntaxat anxiferâ cordis trepidatione concutiuntur,

concutiuntur, quæ arteriarum motus non multùm citat. Aliàs cordis motus inordinati, arteriarum motus incitant; at nullam, vel saltem levem tantùm, anxietatem cient, etiamsi, id quod proprium palpitationis signum est et minimè ambiguum, cor costas sic impingat, ut ejus ab ipso ægro ictus sentiantur.

## CAUSÆ.



---

---

*CAUSÆ.*

---

---

XLI. Memoratis notis, quibus cognoscitur palpitatio de qua scribimus, proximum est, ut, de variis causis quibus enascitur, generatim et distributè dicamus; et primùm de iis, quæ a medicis *REMOTÆ* nominantur.

XLII. Hujus verò generis causarum aliæ homines palpitationi opportunos faciunt; aliæ in opportunis palpitationem excitant. Illæ, medicorum linguâ, *PRÆDISPONENTES* appellantur; hæ, *EXCITANTES*. De utrisque ordine fusiùs dicere, nobis in animo est.

---

---

PRÆDISPONENTES.

---

---

XLIII. *COELUM*.—Cor, necne, sæpius in calidis regionibus palpitatione afficiatur, an in frigidis, nondum, quoad scimus, medicis satè constat. Verùm inclinât nobis animus, ut credamus, ubique terrarum, inter irritabiles et debiles, nonnullos esse, qui hoc morbo afficiuntur. Cùm ita sit, ubicunque ratio vivendi et mores hominum maximè conducant ad corpus aptum reddendum, quod ad irritandum facile sit, ibi, plurimos in hunc morbum proclives esse, nobis haud dubium videtur.

XLIV. *ANNI TEMPUS*.—Æquè incertum est, an ullo anni tempore, præ aliis, cordis palpi-



tatio frequens sit. Homines literarum scientiarumque, quàm valetudinis, studiosiores, sæpius hieme afficiuntur, quàm aliis anni temporibus. Suspikor, accessiones cùm frequentiores esse tum violentiores vere et æstate, quàm autumno et hieme.

XLV. *ÆTAS*.—Mares ad cordis palpitacionem maximè proclives sunt, ex quo tempore pubuerunt, ad vigesimum ætatis annum. Interdum verò eos hic morbus adoritur, qui nondum pubertatem attigerunt; interdum sanè eos, qui virilem agunt ætatem. Qua ætate fœminæ mobilissimæ, at amabilissimæ, sunt, et *hysteriæ*\* opportunissimæ, eâdem, præ cæteris, iis corda levissimis causis trepidanter saliunt.

XLVI.

\* Vid. NIETZK. *Element. Patholog. Univers.* lib. ii. cap. xli. § DCC, LXV.



XLVI. *SEXUS*.—Quanquam cùm mares, tum fœminæ, cordis palpitatione interdum afficiuntur; at hæ tamen multo frequentiùs. Verùm, uter sexus gravioribus palpitationibus plectatur, incerti sumus; nam ex perfectis auctoribus, qui, de hoc morbo, fusiùs dixerunt, nobis neutiquam clarè constat.

XLVII. *TEMPERAMENTUM*.—Pituitosi et melancholici rarò, quantùm scimus, morbo, de quo scribimus, laborant; sanguinei verò et cholericici interdum: longè sæpissimè autem ii, quibus est temperamentum corporis sanguineum melancholico temperatum; quibus jucunditate mentem sublimiora perfundunt; quorumque corpus levibus causis in motus rapitur.

XLVIII. *CORPORIS HABITUS*.—Quibus fibræ musculorum laxæ sunt, quique maturè ad summam magnitudinem increscunt, ii, præ cæteris, palpitationi cordis opportuni sunt.

Hujusmodi



Hujusmodi homines plerumque facile implentur : utrùm verò plenitudo efficiens pal-  
pitationis sit, an effectus, nobis incertum vide-  
tur. Debiles, porrò, sunt, atque ad deliquium  
animæ, tinnitum aurium, et vertiginem pro-  
clives. Quinetiam apti, præ cæteris, sunt,  
qui ex vicissitudinibus caloris et frigoris detri-  
mentum accipiant.

XLIX. *VITÆ RATIO.*—Ignavia, præsertim  
solita exercitatio subito intermissa, haud rarò  
homines morbo, quem persequimur, obnoxios  
facit. Ii quoque eidem opportuni sunt, qui  
multam in noctem vigilant, quorumque animi  
quoquomodo multùm sollicitantur. Quò fit,  
ut iis cor levissimis sæpe causis palpitet, qui  
literis intenti sunt, ac quibus solitudo, super-  
borum fastidium, mordaces solitudines, spes-  
que frustrata, tædium vitæ afferunt. Fre-  
quens, porrò, concubitus; nimius sedantium  
usus,



usus, necnon cathartorum, hydrargyri \*, et sanguinis missionis ; corda aptiora, quæ trepidanter saliant, haud rarò reddunt.

L. MORBI PRÆGRESSI.—Palpitatio morbida debilium nunquam forsitan quenquam ad-  
oritur, quin implicetur alio quodam morbo,  
cujus signum putatur. Nostrâ verò opinione,  
potiùs habenda est effectus ejusdem causæ,  
unde hic ortus est. Quæ mulieres palpitationi  
opportunæ sunt, eædem haud rarò aptæ,  
quæ *hysteriâ* et *chlorosi* afficiantur. Quin-  
etiam, tam in maribus, quàm in fœminis, plus  
minus *dyspepsiæ* palpitationem cordis comita-  
tur : at, cùm *dyspepsia* sæpe urgeat sine cordis  
palpitatione, vel saltem sine notabili, non pos-  
sumus, quin opinemur, hos morbos nullo alio  
affines

\* Vid. SENAC. *De Cœur*, liv. VI. chap. VIII. p. 461.



affines esse, nisi quòd vel quo corporis habitus homines uni opportuni sunt, eodem sanè itidem alteri ; vel *dyspepsiâ* habitus corporis efficitur, quo cor ad palpitandum aptum redditur. Morbis, porrò, quibus homines ad palpitandum faciles redduntur, annumeranda sunt suppressa sanguinis profluvia : suppressis enim mensibus fœminæ, suppressâ hæmorrhoidæ tam mares quàm fœminæ, in palpitationem proclives fiunt.

LI. *ANIMI AFFECTUS*.—Animi affectus, uti palpitationem cordis sæpe excitant, sic haud rarò homines in hunc morbum proclives reddunt ; ii in primis, qui, veluti mœror, solitudo, aliæque quædam ægritudines, naturâ diutini sunt, et animum multùm contristant.

LII. His cognitis et inter se collatis, nobis videtur, proclivitatem ad palpitationem cordis,

dis, in nimia corporis mobilitate consistere ;  
quæ ipsa vel ex debilitate vel nimia plenitu-  
dine, vel utrisque simul existentibus unàque  
conspirantibus, oritur.



---

---

*EXCITANTES.*

---

---

LIII. Causæ, quibus cordis palpitatio concitatur, numero sanè plurimæ sunt. Ad pauca tamen capita reduci possunt. Cor enim in palpitationem ciet, vel sanguinis motum concitando tardandove; vel cerebrum nervosque stimulando sedandove; vel utraque simul faciendo. Res monet, ut de singulis ordine generibus pauca dicamus.

LIV. *GENUS PRIMUM.*—Causæ, quæ palpitacionem cordis movent sanguinis motum concitando, sunt exercitatio qualiscunque vehemens, imprimis nisus quilibet subiti violenti;

ti \* ; magna undecunque vis caloris † ; meriores interdum potus ; multus usus hydrargyri ; acor ventriculi ; et si qua similia.

LV. Causæ, quæ motum sanguinis tardando, vel inæqualem reddendo, palpitationem cordis concitant, sunt spiritus diu contentus ; magna arteria seu plenitudine ventriculi, seu hydrope abdominis, seu obesitate compressa ‡ ; thorax arctis vestimentis, veluti zonæ nexili fœminarum ||, coarctatus ; ligamenta, veluti periscelides §, adeò arcta, ut arterias comprimant ; posituræ quædam corporis ejus-

E

ve

\* Vid. SENAC. *De Cœur*.

† Vid. SENAC. *De Cœur*, liv. VI. chap. IX.

‡ Vid. SENAC. *De Cœur*.

|| Vid. SENAC. *De Cœur*.

§ Vid. FORREST.



ve partium, quibus obstat, quò minùs sanguis expeditè aut per arterias in corpus æqualiter totum distribuatur, aut per venas in cor redeat.

LVI. *GENUS SECUNDUM.*—Cerebro ultra debitum incitato, cor trepidanter haud rarò salire, uni ferè hominum cuique ex propria experientia plùs satìs constat. Præcipuæ autem causæ, quibus cerèbrum nimis incitatur, sunt animi perturbationes, ira, scilicet, æstus, furor \* ; dolor vehemens †, quali cruciantur parturientes, podagrici, lithanici, quibusque membrum amputatur ; gaudium ‡ ; terror subitus ;

\* Vid. PLATER.

SENAC. *De Cœur.*

† Vid. SENAC. *De Cœur.*

‡ Vid. BURSER. *Institut. Medicin. Practic. De morbis pectoris*, § cc, XLIV.

bitus\* ; animus in literas nimis intentus †.  
 Ad idem genus pertinet concubitus : “ In  
 “ VENERIS actu,” ait PLATERUS, “ sibi sta-  
 “ tim supervenire palpitationem, quidam mi-  
 “ hi fassus est, ab eaque adeò se angi, ut, nisi  
 “ desisteret, suffocaretur ; quod et tandem  
 “ illi accidit ‡.”

LVII. Genus causarum, quæ, cerebrum et  
 nervos sedando, palpitationem movent, in se  
 comprehendit tristitiam ||, mœstitiam, mole-  
 stiam, timorem §, metum, horrorem, pудо-  
 rem,

\* Vid. BURSER. *Institut. Medicin. Prætic.* De  
 morbis pectoris, § cc, XLIV.

† Vid. SENAC. *De Cœur.*

‡ Vid. PLATER.

|| Vid. NIETZK. *Element. patholog. univers.* lib. II.  
 cap. XLI.

§ Vid. SENAC. *De Cœur.*



rem, solitudinem; vapores stibii, carbonis\*, plumbi, et hydrargyri; cicutam pectori impositam†; fastidium, quod movent foetida.

LVIII. *GENUS TERTIUM*—complectitur causas palpitationis, quæ utrisque antecedentibus quibusdam conveniunt, ab utrisque tamen quibusdam differunt. Ex his verò causis, aliæ cùm sanguinis motum, tum cerebrum et nervos concitant; aliæ tam illum tardant, quàm hæc sedant.

LIX. *SPECIES PRIMA*.—Cor et arterias, simulque nervosum genus incitant, vermes, si-  
ve in *pericardio* et corde ipso, ut FRANCISCO SYLVIO, HARTMANNO, BALLONIO, HOLLE-  
RIO,

\* Vid. SENAC. *De Cœur*.

† Vid. HOFFMANN.

RIO, RIOLANO, aliisque videtur\*, sive, id quod verisimilius putat sagax MORGAGNIUS†, in ventriculo; sanguis sive ex *scorbuto*, sive *podagrâ*, sive *variolâ*‡, sive *rubeolâ*, sive *lue venereâ*, sive herpete, sive scabie||, sive ulceribus§, suppurati testiculi\*\*, putà, sive aliis, si quæ similes, causis, acritudine inquinatus; profluvia solita, et foetidus ex pedum plantis halitus,

\* Vid. MORGAGN. *De Sed. et Caus. Morb.* Lib. II. Epist. XXIII. § 15.

† Vid. MORGAGN. *Oper. ejusd.* Lib. II. Epist. XXIII. § 16.

‡ Vid. SENAC. *De Cœur.*

|| Vid. BURSER. *Institut. Medicin. Practic.* De morbis pectoris, § CC, XLIV.

§ Vid. BURSER. *ibid.*

\*\* Vid. ZACUT.



halitus\*, suppressa†; vetera ulcera externa exsiccata‡.

LX. *SPECIES SECUNDA*.—Causæ, quæ tardant motum sanguinis, simulque cerebrum nervosque sedant, sunt frigus || nudo corpori utcunque subito admotum; quædam forsan venena; et haud scio annon etiam ventriculus et alvus spiritu distenta §.

PROXIMA.

\* Vid. SIMON. PAUL.

† Vid. BURSER. *Institut. Medicin. Practic. De morbis pectoris*, § CC,XLIV.

‡ Vid. SENAC. *De Cœur*:

BURSER. *ibid.*

|| Vid. SENAC. *De Cœur*.

§ Vid. MORGAGN. *De Sed. et Caus. Morb. Lib. II.*  
Epist. XXIII. § 16.

---

---

*PROXIMA.*

---

---

LXI. Memoratis causis, tam iis quæ cor palpitationi obnoxium faciunt, quàm iis quæ jam obnoxium in palpitationem cient, res poscere videtur, ut de *proxima*, uti dicitur, palpitationis *causa*, paucis dicamus.

LXII. Haud ignari sumus, *proximâ causâ* alios medicos aliud significare; et vix duos esse, nisi qui communitate sermonis familiariter usi sint, apud quos eandem per omnia vim habet. Neque, profectò, hoc mirum est; cùm præsertim nondum communi medicorum consensu convenerit, quid, apud  
omnes,



omnes, qui morbos curant et scriptis persequuntur, *causam proximam* valere oporteat. Donec enim consenserint, quam vim habere debeat, et communi quasi ore et consensu accuratis verbis definiant, necesse erit, ut, de ea, alius alia, scriptis et sermone dicant.

LXIII. Quòd si, per *proximam* morbi *causam*, ritè intelligatur, uti GAUBIUS, GREGORIUS, aliique putant, ea quæ præsens morbum facit, mutata mutat, sublata tollit; vel si, uti MARSDENIO\* videtur, ea, ex qua, tanquam ex trunco communi, omnia signa, sicuti rami ramusculique, enascuntur; opinamur, *proximam* palpitationis, de qua scribimus, *causam* esse perturbatos motus cordis, cujus forsitan neque ventriculi, uti debent, neque auriculæ, consensu concentuque micant.

LXIV.

\* Vid. GUL. MARSDEN. Disputat. Inaug. *De Variolis*, §. XLVI. edit. EDIN. ann. M.DCC,XCII.

LXIV. Magis adducimur, ut sic opinemur,  
quòd causarum, quas suprà memoravimus,  
aliæ rectà, aliæ haud rectà, cordis motus per-  
turbant.

F

DIAGNOSIS.



---

---

*DIAGNOSIS.*

---

---

LXV. Species palpitationis, uti CULLENUS bene docet, omnino duæ sunt, ea nempe, quæ ex organicis vitiis cordis oritur; et ea quæ, corde sano, ex aliis causis.

LXVI. Quum verò utrisque speciebus eadem ferè notæ sint, haud rarò arduum in primis est cognoscere, sanum, necne, cor sit. At utraque tamen species plerumque notis quibusdam sibi propriis insignitur, quæ eam ab altera distinguunt.

LXVII. Palpitationem, quæ eâ ætate urget, qua homines palpitationi debilium opportunissimi

tunissimi sunt ; quam animus demissus, melancholia, *dyspepsia* et *hysteria* comitantur ; quæ recens etiamnum est ; quæve invaletudini, pervigilationibus, vel usitatæ exercitationis intermissione supervenit ; vitiis cordis non concitari, verisimile est.

LXVIII. Probabile est, eam palpitationem non ex cordis vitiis enasci, cujus accessiones nonnunquam breves sunt, haud rarò fugaces et vagæ, et, etiam quando gravissimæ, interpositis tamen intermissionibus distinctæ.

LXIX. Quinetiam, verisimile est, vitio cordis non concitari palpitationem, quam medicamenta, et spiritus vel suprà vel infrà transmissus, levant ; et quæ rarior fit, levior, concitatuque difficilior, prout æger viribus increseat, atque morbi, si qui, comites inclinent et decedant.



LXX. Contrà, est, quamobrem cordi vitia inesse suspicemur, si palpitationi quis diu obnoxius fuit ; si accessiones admodum graves et longæ sunt, rarò remittunt, et levissimâ corporis exercitatione vel incipiunt, vel ingravescunt jam inceptæ ; si animus sæpe deficit.

LXXI. Ita esse, certius est, ubi, dum carpi arteriarum motus debiles sunt, imò vix tactu percipiuntur, non solùm cor enixissimè costas arietat ; sed etiam motus alterni septi transversi impediuntur, atque, præ spirandi difficultate, æger haud multùm abest ut suffocetur, simulque molestissimâ præcordiorum gravitate premitur.

LXXII. Præterea, palpitationem vitiis cordis cieri, medicus interdum potest cognoscere, ex motibus perturbatis, quos manu pectori

tori palpitantis admotâ percipit, atque ex hydropes superveniente.

LXXIII. Denique, ex vitiis cordis natam palpitationem, certò ferè sciunt medici, si infantili ætate inceperit, signaque haud dubia sanguinis, non *oxygenio*, uti debet, bene mutati, appareant; vel si, obrepente senectute, primùm invāserit.

PROG-



---

---

*PROGNOSIS.*

---

---

LXXIV. Palpitatio, de qua scribimus, molestissimus haud rarò morbus et longus est; at, quippe cùm ex cordis vicinarumve huic partium vitio non oriatur, nunquam, quantùm scimus, lethalis est, nisi, utì interdum, in eam palpitationem transeat, quæ a medicis *CARDIACA* nominatur.

*CURATIO.*

---

---

*CURATIO.*

---

---

LXXV. Medicorum est, qui advocantur ad palpitationem cordis sanandam, urgentem accessionem levare; deinde, intermissionem inter, providere, ne morbus deintegro redeat. Res postulat, ut, qua ratione quibusque medicamentis hæc possint fieri, paucis dicamus.

*CONSILIUM PRIMUM.*

LXXVI. Accessio palpitationis levare potest variis remediis et medicamentis, de quibus ordine pauca dicenda sunt.

LXXVII.



LXXVII. Interdum, uti putat SENACIUS, sanguinem mittere valde necessarium est; non solùm, ut mitigetur accessio, simulque caveatur, ne ex hac quid detrimenti æger capiat, sed etiam ut obstetur, ne, accessione finitâ, morbus redeat. Tunc verò maximè, ait idoneus hic auctor, sanguinem mittere opus est, cùm cor vehementissimè salit, et validissimè micant arteriæ.

LXXVIII. Si ictus cordis et arteriarum justo vehementiores et validiores sunt, et si usitato sanguinis profluvio, veluti hæmorrhoidæ, suppresso æger plenus est, nequedum morbo multùm debilitatus, sanguinem forsân mittere liceat. Plerumque verò sanguinis missio anceps remedium est: atque, si causis corpus paulatim infirmantibus palpitatio orta est; si, etiam dum integritas est, arteriæ languidè et non æquis intervallis moventur; si æger piget se movere, et animæ deliquio obnoxius



noxius est ; adeò, meâ opinione, non proficit, ut plurimùm noceat, et nunquam non improbanda sit.

LXXIX. Medicamenta quoque, ex iis quæ spasmum solvunt et sensum minuunt, velut opium, *camphora*, et *asa fœtida*, ad palpitationem cordis sedandam efficacia a quibusdam auctoribus existimata sunt. *Digitalem*, quæ ad hoc genus pertinet, hunc in finem, utilem esse, periculo HOPEUS compertus est. *Æther*, porrò, *sulphuricus*, quando accessionem antegrediuntur vel comitantur magna anxietas, et præcordiorum gravitas, itemque sensus suffocationis, pulsus debilis et intermittens, atque ventriculi intestinorumque inflatio, ægris levamen affert.

LXXX. Quinetiam, haustus aquæ frigidæ nonnunquam ad palpitationes cordis consopiendas utilis est. Atque, si, ut ferè semper



accidit inter palpitationes quæ noctu urgent, corpus incalescat, multum utique proficit aëra frigidum in cubiculum intromittere.

LXXXI. Porrò, quando, ut haud rarò accidit, stomachus redundat, et spiritu distenditur, æger ex medicamentis, quæ levem vomitionem cient et flatum dispergunt, haud parvum levamen accipit.

LXXXII. Summum eorum, quorum corda palpitant, corpus acriter fricare, et aquâ tepidâ pedes fovere, SENACIUS monet; neque profectò ii sumus, qui dubitemus, quin hinc interdum utilitatem percipiant.

LXXXIII. Validam pectoris compressionem iis, quibus cor palpitat, multum opitulari, SENACIUS rectè notat; dolorem enim haud dubiè levat, quem cordis palpitatio movet.

Plurimum

Plurimùm tamen ad dolorem m<sup>i</sup>tigandum pollet compressio, quam, corpore dextro lateri incumbente, extremi digiti, sursum sub costarum cartilaginibus intrusi, faciunt. Utrùm verò dolorem leniat impediendo, quò minùs *pericardium* nimis distendatur, necne, nondum satìs constat.

LXXXIV. Medicamenta, denique, ex iis quæ corpus instigant, itemque levis exercitatio, haud rarò non levem modò cordis palpitationem sedant, verùm graviolem quoque arcent. Hæc verò iis maximè palpitantibus opitulantur, quorum arteriæ imbecilliter pulsant, aut pulsus subinde intermittunt.



*CONSILIUM SECUNDUM.*

LXXXV. Unâ parte bipartitæ curationis finitâ, proximum est, ut de altera, qua docendum erit, quibus vitatis, quo regimine, quibusque medicamentis et remediis, præcaveri possit, ne intermissa palpitatione redintegretur, paucis dicamus.

LXXXVI. *VITANDA.*—Quum animi commotionibus cor in motus abnormes cieatur, oportet eos, qui palpitationibus cordis opportuni sunt, animum quàm maximè regere; et, siquando plùs justo commotus sit, sedare quamprimum, rationique obedientem reddere:

qui

qui enim, naturâ imbecillus, palpitatione immunis esse vult, is sanè nec potans, nec amans, nec timens, nec cupiens, nec gestiens, nec irascens, nec furens, tutò esse potest.

LXXXVII. Non solùm autem omnes animi motus turbati, neque rationi obtemperantes, vel vitandi sunt, vel quamprimum sedandi; sed etiam alia, quotquot cor arteriasque in motus validiores cieant, a palpitationi cordis obnoxiiis cavenda sunt. Quò fit, ut neque se fatigare debeant, neque immodico calori objicere.

LXXXVIII. Verùm, uti omnia, quæcunque sint, vitanda sunt, quæ cor et arterias incitant, ita æqualiter pariterque cavenda omnia, qualia sint cunque, quæ eorum motus tardant, inæqualesve reddunt; maximè verò frigus et humor, quibus nulla ad vires, quibus  
bus



bus in corpus sanguis distribuitur, sedandas plùs valent.

LXXXIX. Nonnulli eorum, quorum corda levissimis causis in abnormes motus rapiuntur, palpitatione afficiuntur, simul ac frigida stragula nudo summo corpori admoventur. Ne verò stragulorum frigore cor palpitet, præcaveri potest, corpus ante cubitum exercitando, usquequo aliquantùm calescat, vel pauxillum cujuslibet liquoris meracioris adhibendo, vel, vestimentis non ex toto exutis, decumbendo, vel lectum tepefaciendo.

XC. Verùm, licèt frigida stragula, nudo summo corpori subito admota, palpitationem moveant, at æger tamen in frigidulo cubiculo decumbere, lecto simul duro, vestimentisque levibus, debet; cùm præsertim lecti undecun-  
que

que calor inceptam palpitationem gravio-  
reddat.

XCI. *REGIMEN*—sensu, quo apud medi-  
cos intelligitur, justam diætæ, exercitationis,  
et vestitûs rationem comprehendit. De his  
igitur speciatim, pauca, hîc loci, dicenda  
sunt.

XCII. Diæta constare debet ex iis, quæ  
levia sunt, et concoctu facilia, quæque, dum  
satîs nutriunt corpus, non gravant ventricu-  
lum. Haud quidem rarò ventriculo imbecil-  
li, plus esculentorum appetunt et assumunt,  
quàm quod possunt concoquere; nec facilè  
interdum iis persuaderi potest, ut modum ad-  
hibeant. Interdicendum verò palpitantibus  
est, ne cibis ventriculum onerent.

XCIII.



**XCIII.** Palpitantes, qui, si modò interdiu vel minimam carnis quantitatem assumpserint, noctu, præ palpitationis gravitate, obdormiscere nequeunt, farraceis et lactentibus, ferè ex toto, vivere debent. Quoniam verò cuique ferè hominum sua corporis proprietas est, licet cuique, qui cordis palpitationi obnoxius est, alium cibum experiri atque alium, donec, qui conveniat, invenerit.

**XCIV.** Optimus potus, quo palpitantes sitim sedare possint, dulcis aqua est. Liqueorum, qualescunque sint, meraciorum abstermii esse debent.

**XCV.** Utì nihil plùs ad cor aptum, quod in abnormes motus facilè rapiatur, faciendum valet, quàm ignavia, ita nihil ad hanc proclivitatem sanandam plùs pollet, quàm modica  
exercitatio :



exercitatio ; hac enim neglectâ, medicamenta et remedia parùm valent.

XCVI. Si æger non vult, vel, præ imbecillitate, nequit, ambulando se satîs exercere, equitare licet ; vel, si vires hanc exercitationem non sinunt, rhedâ vectari commodissimum erit. In exercitatione autem, qualiscunque anteferenda videatur, quotidie æger perseverare debet.

XCVII. Cùm, qui palpitationi obnoxii sunt, ii frigore facilè malè afficiuntur, opus est, ut calido vestitu utantur. Pedes, præ cæteris partibus corporis, a frigore tuendi sunt ; neque hieme solùm, sed etiam quocunque alio tempore cœlum variabile est, laneum indusium gerendum.



XCVIII. *REMEDIA ET MEDICAMENTA*.—Fric-  
tio, si æger adeò debilis sit, ut neque ambu-  
latione, neque equitatione, neque rhedâ vec-  
tatione se exercere possit, multùm proficiet,  
utpote qua, quoties velit, aliorum ope, sine fa-  
tigatione exerceatur.

XCIX. Vomitio, quamvis palpitaciones  
cordis levet, acrius tamen remedium est,  
quàm quod tutò adhiberi possit.

C. Alvum identidem, præcipuè si tarda  
sit, lenioribus catharticis, veluti *magnesiâ* et  
*rheo*, purgare expedit. Si æger plenus est,  
neque jam debilis, frequente purgatione tutè  
tenuari potest, sed adhuc tutiùs levi exercita-  
tione.

CI. Quæcunque, sive remedia sive medi-  
camenta, corpus roborant, et minùs irritationi  
opportunum



opportunum reddunt, ea palpitantibus utilia periculo comperta sunt. Hujus autem generis cæteris præpollent frigidarium; amara; *cinchonæ* cortex; ferrum; *colomba*; aqua, qua maceratum chamæmelon sit, *acido sulphurico* admisto gratè acidula facta.

CII. Quoties fœminis, quibus cor inordinatè salit, menses supprimuntur, efficacissima remedia et medicamenta, quibus hi eliciantur, opportunè adhibenda sunt. Hæc verò nominatim recensere, a re nostra alienum esset.

CIII. Quando, denique, est, quare, cordis palpitationem ex vermibus alvum prædantibus oriri, opinemur, oportet ægrum, primo quoque tempore, medicamenta assumere, quibus teterrimæ hæ animantes, necatæ aut vivæ, alvo facessantur; eoque magis, quòd, his  
in



in alvo hospitantibus, regimen et medicina  
palpitationem curare nequeunt. Quibus verò  
medicamentis vermes, necati aut vivi, expel-  
lantur, non nostrum est hìc dicere.

FINIS.

